



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XXXVII. Conradus II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

continuator Lamberti scribit, nam prædicto anno nullus nisi Reimboto cathedram Willibaldinam regerat. Idem præsens fuit Synodo quam Aschaffenburgi collegit Gerardus, Archiepiscopus Moguntinus, anno M. CC. XCII. ut est apud Trithemium, in Chronico Sponheimensi. De eodem præfule Kalendarium seu Necrologium ad XXVII. diem Augusti, comparavit duo castra Verdensfels & Abenberg cum eorum pertinentiis. Instituit item haberi plenum officium diebus Sabbati de B. Virgine. Imò Spaltam quoque oppidum Episcopatu adiecit; & duobus aliis Sacellanis Chorum siue Basilicam S. Willibaldi auxit.

XXXVII. Conradus hoc nomine Secundus.

Conradus vitat scelus, Ecclesiam quoque ditat.

Mortuus est Reimboto Eystettensis Episcopus anno M. CC. XCVII. inquit Henricus Stero, cui succedit Dominus Conradus dictus pfeffenhausen Ratisbonensis Ecclesie Canonicus & Archidiaconus, vir multa industria & sagacitatis. Electus est III. Nonas Septembris anno prædicto; in Commemoratione animarum confirmatus, & in vigilia B. Martini, quæ illo anno incidit in Dominicam, solenniter Moguntie consecratus à Gerardo Epensteinio, Archiepiscopo Moguntino. Sedit annos VII. & VIII. menses, minus duobus diebus. Obiit in Monasterio Heilsbrunnensi anno Redemptoris M. CCCV. XVI. Kal. Iunij, de Episcopatu præclarissimè meritus, quem oppidis, castris, villis & prædiis supra antecessores suos auxit; & in his etiam celeberrimo comitatu Hirsbergenfi, quæ ex donatione Gebhardi Comitum, suæ stirpis postremi, accepit, de quo ipsa M. S. codicis verba adscribere

Pp

libet.

dibet. Iste Comes Gebhardus nomine, natus fuit de castro & comitatu in Hirzperch. Quod quidem castrum cum rebus, possessionibus & hominibus, militaris conditionis videlicet & vulgaris, hic iuuenis tradit & assignat, per manus istius gloriosi Praesulis beatissimo Confessori Villibaldo, & Ecclesia Eystettensi. Idem aduocatus fuit ipsius Ecclesia & ipsam aduocatum super omnes possessiones Episcopi & Capituli post mortem similiter absolutam dimisit, & super oppidum in Perchingen. Idem dedit Capitulo iura Patronatus quatuor Ecclesiarum Parochialium, videlicet Turingen, VVetzstetten, Lentingen & Haunstet. Idem fuit filius sororis illustrium Dominorum, Ludouici, & Henrici fratrum, Ducum Bauaria. De hac donatione extant isti versiculi.

*Montem ceruorum clarum, castrumq; decorum,
Et res Chounrado Gebhardus ego tibi trado.*

Qua Villibaldi vice suscipias patris almi.

Aeternam requiem mihi quod petat, atq; salutem.

Mortuus est iste Comes in castro suo Hirsberg anno M. CCC. V. IV. Nonas Martij, & in Monasterio Rebdorffensi sepultus, quamuis Henricus Rebdorffensis mortem Comitis huius ponat anno M. CCC.

Interfuit Conradus Comitibus Norimbergensibus indictis ab Alberto Austro, filio Rudolph Habsburgiaci anno M. CC. XCIX. vbi vetus controuersia recruduit, quis propior Moguntino Metropolitano asidere debeat. De qua lite suo loco diximus. Hic audiamus Henricum Rebdorffensem. In hac solennitate, cum contentio oriretur inter Suffraganeos Archiepiscopi Moguntini tunc ibi presentis, videlicet Eystettensem & VVormatiensem Episcopos, super prioritate sedium, post eundem Archiepiscopum, eorum Metropolitanum, quia quilibet consendebat, se debere immediatè sedere post Archiepiscopum

pre-

prædictum, prout etiam Eystettensis, hac privilegia habere dignoscitur ab antiquo, & Archiepiscopus Moguntinus, tunc ibi præsens magis declinare videbatur ad Episcopum VVormatiensem, sed Conradus Eystettensis Episcopus pro defensione honoris sui, & Ecclesia, auxilium Gebhardi Comitis de Hirschberg, tunc eiusdem advocati imploravit. Qui tunc eundem VVormatiensem prohibuit primam sedem tenere post Archiepiscopum eundem.

Eodem anno, inquit idem Henricus, ex permissione Dei Iudæi in Nurenberg, Herbioli, Rotenburg, VVinsheim, Mirgaicheim, Eistet & in Perching cremati sunt. Sub huius Episcopi gubernatione, inquit Bruschius, ædificavit illustris Domina Comitissa, Domina Sophia, de Hirsberg cum consensu & auxiliis fratrum suorum Gebhardi & Gerardi Comitum Hirsbergenfium, Monasterium Prædicatorum Aureatense, siue Eystettense.

XXXVIII. Ioannes.

Hoc digno laude spoliat nos Papa Ioannes, nimirum Clemens V. à quo ab Eychstettensi throno ad Argentinensem evocatus & translatus fuit. De quo ista M. S. Codex. Iste Ioannes Episcopus, quondam Præpositus Thuricensis & præpotens Domini Alberti Romanorum Regis Cancellarius, magnus Clericus in Canonico iure fuit. Qui post obitum Domini Chunradi Episcopi, & Gebhardi Comitis, iam dictorum, tum propter ipsius potentiam, tum ob eius scientiam, in Episcopum istius Ecclesia, licet prius hic canonicus non fuerit, pro defensione ipsius Ecclesia assumptus extitit, & electus. Qui contra Duces Bauaria de rebus Comitum ex morte vacantibus, obtinuit pro Ecclesia, plus quam ad quatuor millia marcarum. Quem etiam propterea Clemens V.